

elle compendiosa nota est vocis *Sela*, quam Judæi in fine Lucubrationum suarum adscriperunt, veluti si finem operis designaret; litera verò *Phe* compendiosa est nota vocis *Patibach*, aperire, quæ in exordio lectionis adnotaretur. Idem & in Psalterio servatum, cui vox *Sela* in exordio lectionis sive cantus adscribitur. Cùm autem lectionum illa distributio satis vaga fuerit & incerta, & ad arbitrium Præsidum Synagogæ; hinc *Sela* non exactè semper recurrit, sed varias & inæquales lectiones designat. Id planè

demonstrant variantia, quæ inter Exemplaria Græca & Hebraica observantur. Eusebius & S. Hilarus in Ps. insinuare videntur, Interpretum Græcorum operâ vocem illam *Diapsalma* in Psalterio adscriptam; maluerim tamen ego Judæis, & Principibus Synagogæ tribuere. Nemo, quantum scio, ipsis Psalmorum Authoribus vindicat, nisi unus fortè Eusebius in Præfatione suprâ à nobis laudatâ, cujus sanè autoritas eâ in re minor est, quàm ut fidem extorqueat.

## DISSERTATIO

### IN ILLUD PSALMI XXI. V. 18. Foderunt manus meas, & pedes meos.

**V**eteres Ecclesiæ Patres de sublati sive corrupti quibusdam Scripturarum sententiis, quos Christianis favere, sibi autem aversas norant, Judæos postularunt

(a). Vetus illa accusatio postremâ hac ætate ingenti animi ardore & eruditionis nisu restaurata est; sed minori, quàm pro tanto apparatu, successu, quòd documenta deessent necessaria, ut tanti operis accusatio, uti par esset, urgeretur; cùm maximè Originalia Hebraica, quæ nostris in manibus versantur, plura ad eò & apertiora exhibeant de Jesu Christo testimonia, quàm quæ suppressisse Judæi accusantur; ut proinde omnium incautissimè egissent Judæi, si semel aggressi arma Scripturarum e manibus nostris tollere, ea tantum subduxissent, quæ superflua utcumque censebantur, pluribus interim aliis relictis, & maximi præ illis momenti, & apertissimi. Prætereo insuper operis, quod suscipiebant, arduitatē, corruptendi nempe Libros per omnes latè Judæos, gentem supersitissimam, & Scripturarum suarum tenacem, vulgatos. Prætereo tandem supervacaneo illos labore exsudaturos; Versionibus authenticis Textus in nostris manibus servatis, quarum ope detecta fraus & dolus revinceretur.

In eo versu, cujus examen Dissertatione hac nostrâ suscipimus, quò sanè nihil expressius de Passione, & Crucifixione Jesu Christi, satis variant inter se Hebræus, Septuaginta, & Vulgata; cùm interim nemo ex Antiquis vitium eâ in re Judæis verterit. Non satis etiam convenit inter Recentiores; cùm ex Fidelibus nonnulli scriptis Lucubrationibus contenderint, integrum esse Textus Hebraici locum, omnemque à Judæis infidelitatis suspitionem amoverint. Nobis sanè alia sedet opinio; demonstrare enim suscipimus, mendosum esse Textum Hebraicum, sive Rabbino-

rum iniquitate, sive malo illorum consilio pravâ lectione selectâ, quæ nullum satis distinctum sensum exprimeret, posthabitâ interim alterâ meliori & veratissimâ, quam ipsi quidem parùm norant. Hæc modò probanda.

Textus Septuaginta & Vulgata ferunt: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*; quæ sanè verba Christiani Jesu Christo cruci suffixo probè vindicant. In hanc mentem Antiquitas universa sententiam illam interpretata est; nec alterum sensum quærere Evangelistæ permittunt (b). Tam apertum assertumque veritatis testimonium egrè ferentes Judæi, maluerunt unius literulæ transmutatione, legentes *Caari* pro *Caaru*, veterique punctorum ratione vel distributione versuum turbatâ corrumpere, ita hanc sententiam reddentes: *Concilium malignantium obsedit me, sicut leo manus & pedes meos*; cum debuissent ita vericulos distinguere (vers. 17): *Circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me.* (vers. 18.) *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quàm pronasit & aperta secunda hæc distributio præ illa, quam Judæi incongruam & obscuram substituerunt, solâ lectione demonstratur.

Confusionem suam satis prodiderunt Rabbini, implexam ejusdem sententiæ expositionem dantes. Kimchi fabellam hanc venditat. Cùm leo prædam quaestivus desertum pererrat, ampliorem quemdam circulum caudâ describit, intrâ cujus ambitum veluti retibus clausâ ejusdem saltus feræ detinentur. Tremere illas nec audere descriptum à leone circulum prætergredi; sed toto contractæ corpore, & pedibus supra ventrem complicatis, se vum immanissimæ feræ dentem immotæ expectant. Ita pariter, ait Rabbini, res Judæorum post dispersionem habentur; velut enim intrâ circulum conclusi detine-

b Matth. 20. 19. & 26. 2. & 27. 31-35. 38. Ita Marc. Luc. Joan. Act. 2. 36. & 4. 10. Jo. 20. 25. Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum &c.

mur, unde egredi nemini permittum, qui sive in manus *Ismaelitarum*, nempe Turcarum, sive *Intruncum*, nempe Christianorum incidere noluerit. Timore, veluti compeditibus manicisque, vincti hæremus immoti, negant enim officium suum ad fugam pedes, ad defensionem manus. In eandem sententiam locutus Abenezra, ait, Davidem illis verbis, *Adversarii circumdederunt manus meas, & pedes meos*, omnem sibi interclusam fugam & defensionem significasse. R. Salomon Jarchi ita dictum illud reddit: *Pedes mei & manus meæ sunt veluti leo*, nempe veluti si à leone discerperentur, veluti si præda essem leonis.

c Ps. 21. 14. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapens, & rugiens.*

Professò si cujusque arbitrio permittatur, ut vericulorum ordo immutetur, & quid quid maximè placuerit dematur e Textu, quid non posset Scripturæ impuniti? Cur leonis similitudo paulò ante superioribus versiculis insinuata, iterum repetatur (e)? Nihil moror futilem ridendamque Kimchi opinionem. Interpretatio Jarchi Textum nimis detorquet. Frustrâ verò R. Lipman in suo *Nitzachon* objicit, nunquam receptum apud Veteres Judæos, ut superstitēs homines cruci suffigerentur clavus, quemadmodum nos de Jesu Christo affirmamus, & satis in eo Psalmorum testimonio demonstrari defendimus. Nunquam, ait ille, commisit David, ut incognitum gentis suæ morem insinuaret; quis enim alioqui ejus verba assequutus fuisset? Abjicienda est igitur, addit ille, lectio: *Foderunt manus meas & pedes meos*; & retinenda altera, de qua in Hebræo: *Tamquam leo pedes mei, & manus mea.*

Sed Rabbini tria opponimus: 1. Non Judæos sed Romanos, Judæis instigantibus, in crucem Jesum Christum egisse. Romanorum autem in moribus positum esse, ut superstitēs homines in cruce clavus affigerentur, tam certum est quàm quid aliud. 2. Falsum est, nunquam obtinuisse apud Hebræos, ut levatos in crucem, reos superstitēs clavus affigerent supplicio. Crucis supplicium Judæi equè ac finitimæ iis gentes, norant; utrinque verò eadem torquendi fontes ratio servabatur; vel si alia erat apud Judæos, hæc manet adversariis demonstranda. Videtis nostram Dissertationem de suppliciis veterum Hebræorum. 3. Quando etiam concederemus, apud Hebræos non nisi reorum cadavera in crucem agi consuevisse, poterat nihilominus David supplicium Jesu Christi propheticè Spiritu nosse simul, & prænuñciare. Habuisse enim præ oculis poterat insuitatum quidem gentis suæ in crucem agendi rationem, sed satis cognitam ex recepto apud finitimas gentes, Phœnices, Syros, & Ægyptios morem. Tandem Jesum Christum supplicio suo clavus affixum fuisse nemo, ne adversariis quidem refragantibus, dubitat. Davidicum ergo vaticinium eo, quo nos accipimus, sensu ad litteram implevit.

Perniciosior est præ Judæis Theodoros Mopsuestenus, Scriptor Christianus Sæculi

quarti, quippè cujus interpretatio ingeniosa magis & plausibilior, veritati plurimum officit (d). Agnovit ille veritatem lectionis Vulgatæ, & Septuaginta; neque enim tum temporis alteram illam à Judæis diu post investam norant. Sed verbum illud *foderunt*, usurvari quandoque observat pro *sedulo* & dolosè investigare scrutarique; illud autem, *Pedes meos & manus meas*, omnes hominum actiones & gesta commodè designare. Potuisse ergo Prophetam de se ipso locutum, cùm ab Abfalomo premeretur, non incongruè queri, ac si à consilio malignantium pedibus manibusque transfoderetur; i. e. adversarios suos iniquâ scutatione omnia vitæ suæ gesta indagasse, ut creatâ in illum invidiâ, defensionis illi suæ causam aliquam prætexerent.

Sed audacem illum Criticum provocamus, ut vel unum Scripturæ locum exhibeat, quo sensum hunc suum defendat. Legitur quidem verbum *fodere* pro inquirere & in examen revocare; sed altera est illius quàm in Psalmo syntaxis. Queritur Job (e) de amicis suis, qui *subvertere* (Hebr. *fodere*) niterentur amicum suum. Et Salomon in Proverbiis (f): *Vir impius fodit malum*. Psalmista sepius [g], & Jeremias 18. 20. 22. de impiis habent: *Foderunt foveam, ut caperent me*. Sed hanc loquendi rationem, *foderunt pedes meos & manus meas*, in eo sensu usurpatam, ut gesta omnia sedulo scrutata designer, nunquam legimus. Amant quidem Hebræi figuras & exaggerationes, sed non violentas, & non nisi communi usu receptas. Quis autem audivit unquam, *fodere manum hominis*, usurpatum pro *in ejus vitam & mores inquirere*? Nunquam hæc, scimus autem exploratumque tenemus, propriam & literalem hujus vocis significationem omnem in Jesu Christo impletam fuisse. Frustrâ igitur Theodoros Mopsuestenus ad Davidem litteram ejus Textus detorquet, qui nihil tale ac Jesus Christus passus fuisse legitur.

Contendunt alii, ejusdem sententiæ litteram Davidi, Sauli vel Abfalomi persecutione oppresso, tribuendam; qua in re exaggeratione usum Vatem dicunt, ut pro transfossione manuum pedumque labores fugæ cæterorumque malorum designaret, quibus veluti in crucem pedibus manibusque transfixus ageretur. Sed nihil illi contra nos; falsi ultro nunquam ejus prophetiæ litteram in Davide impletam fuisse. Nec sanè, nisi summâ vi Textui illatâ, in sensu metaphoricò & figurato verba illa afflicto Regi tribuerentur. Equis enim, rogo, satis aptè loqueretur, cùm hominem itineris laboribus afflictum designaturus diceret, vitam illum pedes habere manibusque transfossas? Semel ac verò ad Jesum Christum mentis oculos convertimus, prona sunt omnia, verba Textus clara sunt & aperta.

Quæ Judæi alique nonnulli Interpretes moluntur, ut alienum à pia fidelium opinione sensum verbis illis appingant, documento sunt apertissimo, eorum omnes interpretationes falsas esse & mendas.

d Theodor. Mopsuest. Col. lat. 4. Concil. 4. Constanti-nopol.

e Job. 6. 27.

f Prov. 16. 27. g Ps. 6. 16. & 56. 7. & 93. 13. & 118.



fas. Textus aliquis clarus apertusque in obivium primò sensum, & simplicem interpretationem Lectorem, naturâ ipsâ agente, ita deducit, ut alterum facile non admittat. Omnes Rabbīnorum expositiones parum adhuc profecerunt; & quamvis summa hodie obtineat in Religione & Interpretatione Scripturarum licentia, nemo tamen hucusque Rabbīnorum opinionem defendendam aliquâ animi contentione suscepit. Nimis enim distorta est, & à communi sensu aliena.

Sed absurda contraria sententiæ & implexa demonstrasse non satis ducimus; ipsa tandem Hebraici Textus lectio novitatis revincenda est; ex quo facile de falsitate ipsius argumentum capietur. Si enim altera sit nostrâ ætate Textus lectio, quam quæ olim in Codicibus extaret; mendosa sine controversiâ habenda est. Certam quidem hujus corruptionis epocham statui vix posse credimus, quamquam recentius in vestra nullo negotio demonstratur. Scitum est, Septuaginta legisse *Caaru*, foderunt, non *Caari*, velut leo. Aquila, Judæus licet perveracissimus, qui Versiōnem suam, ut invidiam, crearet in Christianos, adornavit, eandem lectionem servans, pro eo quodd sensum extenuaret, confirmavit potius, vertens: *Deturpaverunt* [i. e. dilaceraverunt] *manus meas, & pedes meos*. Symmachus, Theodotion, & cætera antiquæ Versiōnes fati ad Septuaginta accedebant; nihil enim variasse eâ in re à Patribus unquam observatum scimus. S. Justin Martyris ætate, nempe secundo Ecclesiæ sæculo, Textus & Versiōnes fati conveniebant: cum idem Pater Tryphoni Judæo opponens sententiam illam (b), *Foderunt manus meas, & pedes meos*, nihil Judæis exprobrat, quamquam alioqui falsitatis in aliis pluribus arguit. Paria observare licet in Patribus sequentis ætatis (i), apud quos ne vestigium quidem discrepantiæ in lectione Textus occurrit. Sed summo semper consensu verba illa contra Judæos usurparunt, nunquam interim imponi sibi Judæis querentibus, nunquam Controversiarum Scriptoris dubitationis aliquid de sinceritate hujus lectionis inveniuntibus.

Origenes, & S. Hieronymus, in Hebræo æquæ ac lectione Librorum Judaicorum versatissimi, imposturam tandem noscent ac detexissent; pluribus lectionem Septuaginta, & Vulgatæ ab Ecclesia receptam confirmaturi, siquid discrepantiæ inter eorum Exemplaria & Hebræorum animadvertissent. Idem S. Hieronymus, qui literas Judaicas sub Hebræo præceptore didicit, & Psalterium ad fidem Originalis Textus exactè adè expressit, ut ad judicium Judæorum provocare non dubitet [k], expressit etiam quàm Septuaginta, legit: *Fixerunt manus meas & pedes meos*.

Paraphrastes Chaldæus [l] in Editione Complutensi sive Philippi II. legit tantum: *Momorderunt pedes meos, & manus meas* (m); sed in aliis Editionibus (n) additur nomen leonis: *Momorderunt, veluti leo,*

*manus meas*. Hanc paraphrasim adornasse creditur Josephus cæcus, qui sæculo quarto in Academia Sora in Transseptrahæa clarebat. S. Hieronymi silentium falsitatis suspicionem movet in illud: *Sicut leo*, quod in Exemplari editionis Anglicanæ legitur. Nihil enim tale S. Doctor legit in Hebræo; neque pariter legunt in Chaldæo Psalmodum Editiones Complutensis, & Antuerpiensis. Quæ sanè necessitas, ut duæ simul lectiones in eadem paraphrasi jungerentur, verterenturque? *Momorderunt, veluti leones, pedes meos, & manus meas*? Satis erat juxta Editionem Complutensem legisse: *Momorderunt pedes meos & manus meas*; sive juxta RR. Recentiores, duobus simul versiculis junctis: *Concilium malignantium circumdedit pedes meos, & manus*. Nec desunt Judaicæ libertatis in recensendis suis Paraphrasis exempla, quibus etiam imputandam hanc corruptionem non immeritò suspicamur. Quod ad vetustatem hujus Paraphrasis earumque Auctores spectat, res est non inexplicata tantum, sed & viris doctissimis persuasum, ignotam esse hujus generis Operum ætatem, ac multò recentiora quàm à Judæis jactentur, habenda.

Rabbini qui Massoræ allaborarunt, varietatem lectionis in eo Textu, ipso fatente Jacob Ben-chaim (o) agnoverunt. Eorum ætate, nempe sæculo 10. vel 11. legebatur in Textu *Caaru*, & ad oram quorundam Exemplarium *Caari* [p]. Ex orâ deinde in Textum vox illa, utpote quæ Judæorum præjudiciis maximè faveret, irrepsit, quam proinde RR. Kimchi, Salomon Jarchi, Abenezra, alique Scriptores sæculi posterioris probandam, ac alteri, nempe *Caaru*, præferendam censuerunt. Nescunt tamen Kimchi, & Ezra varietatem *Caari*, & *Caaru* in vetustissimis Hebræorum Codicibus; & diù post R. Joannes Isaac, adversus Lindanum scribens, lib. 2. fatetur: *Idem ego ipsâ veritate & conscientiâ bonâ testari possum, quòd hujusmodi Psalterium apud Avum meum viderim, ubi in Textu scriptum erat Karu, & in margine Kari*. Buxtorfius (q), Capito (r) & Galatinus (s) testantur, legisse se Hebræica Mss. quæ sive in Textu sive in orâ codicis vocem *Caaru* præferrebant. Andrada in Defensione Concilii Tridentini lib. 4. paria se Exemplaria vidisse testatur; sicut & alterum non dissimile versatum sibi in manibus tradit Gerardus Veltuick apud Genebrardum in Ps. 21. vs. in quo *Caaru* legebatur. P. Martianus (t) eandem lectionem offendit in Codice 626. Colbertino. In eo Exemplari primùm scriptum legebatur *Caari*; sed ipse Amanuensis scriptum suum correxit, virgulâ Jod longius productâ. D. Simon in eam Mss. correctionem insurgens, Christiani alicujus fraudem inductam contendit. Cum verò P. Martianus Mss. illud judicio duorum peritissimorum Judæorum permisisset, falsi sunt Judæi, correctionem illam Hebræi Amanuensis opus, quemadmodum reliquum ejusdem vocis habendum, qua de re autem

o Rab. Ben-chaim. *bemk-zab separim medukem mazaibi Kethif Kaaru, Vekerî Kaari*.  
p Massora Marginal. & in Massora textuali in Num. 2. 4. 9.

q Buxt. *Vendic. lib. 2. cap. 8.*  
r Capito *Institut. Hebr. lib. 1. cap. 13.*  
s Galatin. *de Arcan. Cath. verit. lib. 8. cap. 17.*

t Martian. *Contra D. Simon. p. 159. Gallicè.*

h Justin. *Dialogo cum Trypho. pag. 325. 332. & Apolog. 2. p. 77.*  
i Vide Tertullian. *Cyprian. Athanas. Chrysost. Apollinar. alios passim, ubi scribunt contra Judæos.*

k Hieron. *Epist. ad Sophron. in capite Psalterii.*  
l Chaldæi in Polyglot. *Anruerp. akethu ajedai veraglai.*  
m Ganz *Tzemaach. David. ad 113. sive 353.*  
n Chaldæi in aliis Exemplar. *neke-thin Kaaruja, ajdas Veraglai.*

theticum testimonium exhibuerunt. Porro Mss. illud in usum Judæorum à Judæo Scriptore sæculi decimertii adornatum est.

Cum vetera Hebræa Mss. ante Massoram rarissima sint, Judæis parùm vetustati Codicum studentibus; hinc rara admodum nostrâ ætate suppetunt veterem genuinamque lectionem servantia: id præstantibus summâ curâ Judæis, ut Codices suos ad Exemplaria Massoretarum, quæ correctissima habentur, emendent. Cum Cardinalis Ximenius imprimenda Polyglotta Complutensa omnium prima curavit, genuinam lectionem *Caaru*, foderunt, restituit. Bombergius clarissimus Venetus Typographus idem sibi præstandum censuit in Libris Hebræicis, quos imprimendos susceperat. Volentem prohibuit Judæus, speciminibus corrigendis destinatus; minitatus, si incepto persisteret, id commissurum se, ut nemo Judæorum Exemplaria sibi emeret. Hanc historiam ex Druasio sæpius audisse se Amanâ testatur (u).

u Amanâ Bibliici *Antibarbar. lib. 3.*

Versiones Orientales vetustissimæ cum Græcis Latinisque conveniunt. Utamque lectionem conjungere Chaldæum supra animadvertimus. Versio Syriaca vetustissima, & Apollolorum, uti quidem creditur, ætatis, habet: *Foderunt pedes meos & manus meas*. Præterea Arabicas, & Ethiopicas, utpotè à Septuaginta expressas, & nihil ab illis discrepantes. Tertullianus legebat (x): *Extremisaverunt manus meas & pedes meos*. S. Cyprianus lib. 2. Testimon. *Effoderunt*. Ex quibus omnibus illud nobis statuendum, 1. Lectionem quam servant Septuaginta, & Vulgata, *Foderunt pedes meos, & manus meas*, veterem esse & genuinam Textus Hebræici. 2. Alteram lectionem *Cari*, quasi *leo*, post Massoretas, nempe post sæculum undecimum, præferri coepisse. 3. Nequidquam in contrarium molientibus Rabbīnis, vestigia quædam *Caaru* postremo sæculo mansisse. 4. Tandem fraude & iniquitate Judæorum factum est, ut lectio *Cari*, quæ casu aliquo in Textum irrepsisse potuit, confirmaretur probareturque, genuinâ alterâ *Caaru* abolitâ penitus & abiectâ.

x Tertull. *contra Judæos cap. 1. & 10. & 13. Quasi ab exorisan. Tamen cap. 10. ejusdem Libri legit: Foderunt manus meas & pedes meos; quæ propria est atrocitas Crucis.*

Hæc, solidissimis licet asserta rationibus, opinio strenuos habet impugnatores, non ex Judæis tantum, sed quod maxime mireris, etiam ex Christianis; quorum alii Hebræorum lectionem & interpretationem pronis manibus excipiunt; alii inter nos & Judæos mediū conciliare utramque sententiam nituntur; alii tandem in ipsa Massoretarum lectione se invenisse, & Christianorum interpretationem & lectionem Septuaginta, ac Vulgatæ sibi blandiuntur.

Inter fautores Judæorum primas tenet Leusdenus (y), lectionem *Caari*, quam omnia vel fere omnia Hebræorum Exemplaria præferunt, genuinam defendens, demonstransque nihil absurdi continere lectionem illam Rabbīnorum: *Concilium malignantium circumdedit me; quasi leo, pedes meos & manus meas*. Immania illa, quæ in Hebræos excutiuntur, virum, omnidispensio paratum defendere Rabbīnicam

y Leusden. *Philolog. Hebr. Dissert. 7. Edit. secunda.*

lectionem, non terrent. Nihil in eo Auctore desideramus, nisi dociliorem mentem sanioeremque. Neque iterum hinc repetenda, quæ in expositiones Rabbīnicas supra concessimus; & acquisissimo animo patimur reprobari nostram sententiam ab iis, quibus talia probantur.

Chaldæus vertens, *Momorderunt quasi leo pedes meos, & manus meas*, in aliam opinionem Scriptores quosdam induxit (z); viros alioqui Hebræi sermonis non imperitos, gnarosque vocem *Caari* simplicem quidem videri, re tamen compositam esse, & ex pluribus aliis constantem. In *Cari*, deprehendunt illi *Caru*, & *Cari*: *Foderunt quasi leo pedes meos, & manus meas*. Verum desideranda essent exempla, quibus de insueta illa geminæ vocis compositione doceremur. Quæ, rogo, necessitas remedium illud suadet? An fortè conciliare nobiscum sperant Judæos, ut tandem vaticinium Jesu Christi cruci suffixi agnoscant? Nonne causam eos vicisse faterentur, semel abdicatâ lectione, quam Ecclesiæ Græcæ pariter, & Latinæ, tum & sæculorum omnium interpretatio, ac tandem vaticinium in Jesu Christo ad litteram impletum consecraverunt?

Augustinus Pfeifferius alteram solvende [a] difficultatis rationem proponit, magis illam Textui & syntaxi Hebræicæ conformem. Habet igitur persuasum, *Cari* positum esse loco *Carim*, *fodientes*. Nec sanè novum est, ut in constructione aliquando M finalis elidatur: ita pro *anaschim* scribitur *anaschi*. Laudat ille in suam sententiam Gesnerum, Pocockium, Altingium, aliosque nonnullos; quam si Judæi pariter probare voluerint, quod inter nos illosque differimet nihil erit. Nos tamen nihil adversus Judæos proficiemus, ex quo ultrò illis vox *Cari* deferatur; quin & nostrâ eâ confessione preclare secum agi putabunt, rationes nostras & interpretationes deridentes. Est itaque vetus lectio *Caru* retinenda; corruptusque ab illis Textus demonstrandus; neque committendum, ut temperamento ullo aliquid detulisse adversariis videamur. Profectò in rebus Religionis mediam viam tenere non tutum est consilium, sæpiusque contingit, ut neutri parti satisfiat. Judæi legendum volunt *Caari*, negant autem vertendum *fodientes*, nec à nomine ipso abhorrent, sed à significatione. Christiani totâ animi contentione defendunt, prophetiam de supplicio Jesu Christi eo loci contineri; neque satis in tuto sententiam hanc suam opinantur, nisi simul demonstraverint, veterem probatamque Textus originalis lectionem eam fuisse, quam hodie Textus Latinus & Græcus retinent.

Animadvertisse juvat, Auctores, quorum modò propositas sententias refutavimus, à Protestantium numero esse, veteribus præjudiciis defendenda Textus Hebræi integritati addictos. Sed illorum in eâ re dogma, & quam defendunt Textus integritatem, sicut & eorum interpretationem, tum validè falsitatis revincunt ratio.

z Arias Montan. *apud Rivet. Avenarii Lexicon. Helvic. Vendic. Locor. V. T. Nicol. Petreus Lexic. Hebræic. Vassurb. &c.*

a Dissert. de voce *Kari*.